



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 70. Congregatio Clericorum Regularium Minorum erecta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A C 1588.

§. LXX.

Congregatio Clericorum Regularium  
Minorum erecta.

*Bull. Const.* 81. p. 687. *Aub. Mir.* *Congr. Cler.* *in comm. viv.* *Helyot hist.* *Ord. Mona.* t. 4. c. 38. Sub idem ferme tempus Joannes Augustinus Adornius Sacerdos ex antiquissima Dorniorum familia Genuæ ortus unacum Francisco, & Augustino Caracciolo ex perillustri Neapolitani regni genere natis novam Clericorum Regularium Congregationem erigere aggrediebatur: porro cum hi Nobiles specialiter uni functioni Apostolicæ magis, quam ceteris omnibus insistere viderentur, atque aliunde jamjam flexæ Clericorum Regularium Congregationes essent erectæ, hinc consilii, quod coeperant, executioni vix ulla obstabat difficultas, adeo, ut ad primas eorumdem preces mox Sixtus V. edito diplomate, quod incipit: *sacra Religionis*, die primæ Julii anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo octavo illis concederet, ut nuncupatis pro more votis solemnibus quartum adderent, vicusque quamcunque dignitatem extra Religionem ambire prohiberentur: ceterum prima hujus Congregationis fundamenta Neapoli jaciebantur, quoniam verò Sixtus V. Ordinem Fratrum Minorum profitebatur, ideo hujus Congregationis Alumnos nuncupari voluit Clericos

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

ricos Regulares Minores, quibus quatuor diversi generis domicilia sunt propria, & quidem primo in illis, quæ exercitiorum Domus appellantur, unice in id incumbunt, ut fidelibus cuncta spiritualia procurent subsidia: aliæ vero domus destinatæ sunt pro institutione Novitiorum: insuper alia habent Collegia, ubi non modo suos Religiosos, sed etiam alios variis scientiis imbuunt, atque ad suas domos recipiunt illos, qui divinarum rerum contemplationi per aliquot dies operam dare intendunt: denique illi, qui ad altiore vitam perfectionem præ ceteris tendunt, ex Superiorum consensu ad Eremum, quæ est quarta Domiciliorum species, secedere possunt, ubi tamen omnium laicorum accessus omnino interdictus est: quamvis equidem in Italia quasdam ejusmodi domos possideant, in Hispania tamen ex nobilioribus oppidis, atque Universitatibus vix ulla recenseri potest, quæ ejusmodi Collegio caret: præterea hi Clerici alternis vicibus per unius horæ spatium sacrae meditationi vacant, ac singulis diebus, exceptis Festis de præcepto, ex illis unus cilicio, alter flagellis corpus castigat, & demum tertius jejunat, solo pane, & aqua victitans, qui etiam cibos suos in Refectorio subministrat cuidam pauperi, quem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.  
quem etiam quadam sacra doctrina im-  
buit. Porro Adornius hujus Congre-  
gationis Auctor Anno Incarnationis  
dominicæ millesimo quingentesimo  
nonagesimo primo in Sanctitatis fama  
Neapoli obiit.

## §. LXXI.

*Beatus Didacus a Sixto Papa San-  
ctis annumeratus.*

*Bull. Const.*  
*82. p. 688.*

*Wadding.*  
*annal. Fr.*  
*Min.*

*Baillet vie*  
*des Saints*  
*au 13. Nov.*  
*tom. 3.*

**H**oc item anno Sixtus V. aliam adhuc  
septima Julii die edidit Constitutio-  
tionem, qua Beatum Didacum, seu  
hispanice Diego dictum, quod haud  
aliud, quam Jacobi nomen est, Sancto-  
rum albo inscripsit. Erat is natus in  
sancti Nicolai villa Hispalensis Dicoce-  
seos, qui plusquam viginti sex abhinc  
annis e vita excefferat, ejusque Cano-  
nifatio apud Pium IV. Pium V. & Gre-  
gorium XIII. vehementer a Philippo II.  
Hispaniarum Rege urgebatur, qui ad  
hoc pietatis studium, gratique animi  
testificationem incitatus erat, eoquod  
ejus Filius natu major Carolus hujus  
sancti Viri patrocinio pristinae sanitatis  
gratiam præter naturæ ordinem Anno  
a partu Virginis millesimo quingentesi-  
mo sexagesimo secundo impetraverat.  
eapropter Pius IV. jam anno Christi  
millesimo quingentesimo sexagesimo  
quinto tanquam hujus causæ Depu-  
tatos